



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

48. De his qui velatas jugium duxerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De viris ac feminis sacris propositum trans-
gredientibus sacrum. *Concilium
Toletanum.*Concil. Tolet.
6. c. 6.
Burchard. lib.
8. c. 14.

XLVI. Proclivis cursus est à voluntate, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum induerint semel vel induerunt spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel femina fuerit aut fuit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu prævaricator ad propositum invitatus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella monasterium ingrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia à Christianorum cœtu habeantur extorres, ut nec locus eis ullus sit communis. Viduas quoque universalis jamdudum statuit synodus professionum vel habitus sui desertrices ut superiori sententia condemnentur.

Ut viduæ vel virgines continentiam professæ non nubant. *Item ejusdem Papæ Gelasij ad Sicilienses Episcopos.*

Symmach. ep.
1. c. 5.
Burchard. lib.
8. c. 46.

XLVII. Neque viduas ad nuptias transire patimur quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserint. Similiter virgines nubere prohibemus quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse constiterit.

De his qui velatas Deo consecratas in conjugium duxerint. *Cap. XXI I.*

Concil. Tri-
bur. c. 23.

XLVIII. Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dictum

Deo propositum incesta fœdera sacrilegâque miscuerit, ut in constitutis Gelasij Papæ cap. xx. legitur, protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerit, transeuntibus de seculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi Concilio cap. xvi. hoc perpetrantes excommunicentur. Confitentibus auctoritate Episcopi misericordia largiatur. In epistola Papæ Siricij cap. vi. velatæ Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis clanculùm sacrilega contagione se miscuerint, vel de illicitis compluribus publicè & liberè procreaverint, has impudicas detestabilésque personas à monasteriorum cœtu & Ecclesiarum conventibus eliminandas esse judicatum est; quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo Domini & canonica auctoritate in hac sancta synodo præcipimus ut omnino separentur, & juramento colligantur ulterius sub uno non cohabitare lecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia & publico, aut pariter ullam habere communionem unde suspicio inlecebrosi desiderij aut scandalum libidinosi facti justè possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sint, dividant, & uterque sua provideat.

Burchard. lib. 8. c. 38.

De viduis velatis. *Gelasij Papæ.*

XLIX. Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, (prout constitutum est in decretis Gelasij cap. xiiii.) quod nec auctoritas divina nec canonum forma præstituit. Quæ

Concil. Tribur. c. 25.
Burchard. lib. 8. c. 36.